



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput II. Regulæ a Beneficiorum collatoribus observandæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

Varias Beneficiorum divisiones Doctores præcipue Canonistæ afferunt. Communiones sunt 1. in *simplex* quod curam animarum aut specialem dignitatem adnexam non habet, ut capellania simplex, Canonicatus; & *Curatum*, cui cura animarum est adjuncta, uti Episcopus, Parochia, Abbatia, Prælatūra &c. 2. in *seculare*, & *regulare* primum clericis sæcularibus; alterum nonnisi regularibus est conferendum, 3. juxta Jus novum in *titulare*, & *commendale*. Illud cum plenitudinæ juris perpetuo Clerico traditur: hoc per modum solius administrationis alicui conceditur. *Commendata* autem ejusmodi Beneficia dicuntur, quia hæc, alias regularia, Clericis sæcularibus veluti administratoribus summus Pontifex commendat & confert, quin eorum naturam immutat. Quodsi diversus acquirendi modus attendatur, 4. Beneficium aliud dici potest *collativum* quod Episcopus libro ac proprio motu confert, aliud *patronatum*, quod ab eodem confertur illi, quem Patronus nominavit ac præsentavit; aliud *electivum*, quod via electionis, & superveniens confirmationis obtinetur.

CAPUT II.

Regulæ a Beneficiorum collatoribus observandæ.

Sex præcipue modis ecclesiastica Beneficia obtinentur, 1. Libera collatione; 2. Patroni præsentatione, & Prælati institutione; 3. Electione & confirmatione; 4. Postulatione & admisso-

missione: 5. Permutatione: 6. Resignatione in favorem facta, & acceptata.

Per collationem jus actuale clerico traditur in Beneficii fructus; per præsentationem, seu nominationem ad Beneficium nullum reale jus conceditur; sed hoc primum canonica ex institutione oritur. Canonica autem institutio non mere arbitraria, sed si præsentatus dignus Beneficio sit, ex justitia est facienda. Si collator Beneficii nimis morosus sit, post sex menses conferendi jus ad Prælatum superiorem devolvitur. Patroni quoque ecclesiastici qui culpabilem moram in præsentando trahunt, post sex menses a præsentandi potestate excidunt, ac Beneficiarium ab Ordinario nominatum, ac institutum recognoscere debent; sæculares vero patroni in præsentationis munere negligentes jam quarto effluxo mense eandem jacturam subeunt. Sed de his plura Canonistæ. His de Beneficiatorum præsentatione, ac nominatione præmissis pauca adhuc alia dicenda restant; magni siquidem momenti res est, cui plerumque Patroni, maxime Laici, non satis attendunt. Ut igitur Confessarii peccata noscant, in quæ Patroni labuntur, multum interest.

Id primo est notandum, ut Beneficium gratis detur, alias simonia committitur. Verum non sufficit pecuniam per seipsum non accipere; non enim licet permittere, ut consanguineus, amicus, vel familiaris accipiat, nec illos nominare, qui ab his commendantur: hujusmodi personis fidere non oportet.

2. Qui

2. Qui ad Beneficium nominare debet, Deum diu oret, ut sibi suggerat nominationem Ecclesie utilem; est enim hoc privilegium ab Ecclesia contra communes leges concessum, & solum quibusdam conceditur, a quibus utilis electio facienda speratur. Caveant Episcopi aut Ecclesiarum Patroni, qui ob sibi præstitum servitium domesticis suis Beneficia conferunt, nulla illis antea mercede tradita, ne ad sua solvenda debita Ecclesie bonis utantur, sic enim furti & simoniae rei sunt.

3. *Iuste* dandum est Beneficium, & hæc iustitia complectitur: 1. ut electus dignus sit, secus elector Ecclesie injuriam infert, cui indignum inutilemque ministrum tradit, & præterea peccatis communicat, quæ ex ministerii ignorantia proveniunt, & sunt innumera. 2. ne dignis fiat injuria, illisque id rapiatur, quod indignis traditur.

Porro ut quis Beneficio sit dignus, duo requiruntur: 1. scientia Beneficii oneribus apta; pro Capella siquidem non eadem scientia requiritur, ac pro Parochia: 2. vitæ & morum innocentia.

Quæri modo potest, an digniori dandum sit Beneficium? Sanctus Thomas ait, digniori semper dandum: quod de Parochiis certum est. At si Beneficium sit patrimoniale, & ex fundatione civi aut consanguineo dandum sit, dignior ex familia est eligendus, & repellendus indignus, hoc enim casu eligendus esset extraneus (a).

CAPUT

(a) Electores, Collatores, Patroni, qui indignum aut minus dignum promovent graviter peccant.

I. con